

<[sida 16](#)>test quisquam desiderare gratiam, nisi qui primus agnoverit, se esse damnum, omnium sceleratissimum flagitiis que obrutum in Tartarum detrusum. Cur igitur irascuntur, cur indignantur, cur strident dentibus, sanguinemque poscunt eorum, qui ad hanc, in omni conversione, necessariam delictorum suorum agnitionem ducere volunt? Quia naturalis ambitio manet in omnibus irregenitis: quia virtutibus freti se insontes putant.

Itaque, ne indignantur homines, ab omnibus exhortationibus abstinendum est. In orationibus nostris communiter mentionem facere debemus de hominum lapsu, de necessitate poenitentiae, de fide in Christum e. f. p. sed neminem singulariter reprehendere, vel de salute ejus dubitando offendere, ne nimis irascatur. Nam quae e suggestu praedicantur vera quidem esse possunt; sed quia de omnibus dicta sunt, nemo reprehensionem sibi enunciatam, omnes virtutes, pietatem atque fidem de se praedicatas existimabunt.

Et quamquam e logicis patet, omnes veritates, quae non sunt axiomata, e dubitatione oriundas, per dubitationem eliciendas, et a dubitatione ad certitudinem deducendas esse; (sic existentiam Dei demonstratur primo contrarium h. e. non existentiam ponimus, et res, de cuius veritate nullus dubitat, demonstratione non eget.); idem omnes, quorum conversionem descriptam habemus, experientia sua testantur, conversionem e dubitatione inchoatam, tum demum esse absolutam, cum ad certam fiduciam pervenerint; immo definitio fidei a Paulo data omnem de salute dubitationem tollit, cum certitudinem et persuationem dubita <[sida 17](#)>tionis loco ponit, unde facile colligitur, nullam certam fiduciam esse, ubi nulla sit dubitatio: tamen omnis de salute dubitatio, quantum sieri potest, evitanda est, ne nimis excitarentur homines e fomo, e securitate omnibus periculosa, e lethargia letali, ad severiorem verbi, conditionisque suae meditationem, ad majorem salutis, quam rerum contingentium desiderium. Neque hoc arroganter dictum velim.

Quis est enim tam stolidus aut stultus, qui non animadvertiscat, sic Evangelium a plerisque praedicari, ut placeant hominibus, ut grati sint auditoribus, ne nimis offendant populum. Videlicet populares esse debemus non tantum in foro, sed etiam in concionibus. Quis est, qui nesciat opinionem populi, scilicet plerosque eorum, qui strenue boant in templo pariterque glutunt, quaecunque ex oibus mulgent, nihil facturos nisi mercede conductos. Quot autem Evangelium praedicaturos creditis, si omnia praemia hujus mundi adimerentur illis?

Exspectate paulisper! Ego vobis declarabo. Jam probata est fides hujus ordinis in proximis hisce comitiis, et probabitur ulterius in sequentibus et futuris. Exspectate illa comitia tributa, in quibus omnis libertas populo restituta, omnis potestas regi ademta, omnis diversitas ordinum adaequata, et omnis controversia de esse et non esse erit reconciliata; *quum cuilibet liceat impune dicere, quidquid et de quo voluerit:* sit

decretum populi, cuius hæc sunt verba: "Som ingen kan förstå Bibeln utan förklaring, och den förklaring, som den store Exegeten Strauss deröfver lemnat oss, tyckes vara den, som mest öf-